THEGANUS

TREVIRENSIS ECCLESIÆ CHOREPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Latinitatis.)

A Theganus, Trevirensis Ecclesiæ chorepiscopus sæc. IX scripsit *librum de Gestis Ludovici Pii* usque ad annum 837, vere magis, ut Mirœus judicat, quam erudite. Editus est cum aliis Francicarum rerum scriptoribus a Petro Pithœo, nec non in Scriptoribus rerum German., qui Cuipsin, vel etiam Schilteri nomen præferunt, pag. 69.

Exemplum multo auctius Pithœano asservat bibl. Vindebonensis, teste Lambecio tom. II, p. 391. Scripsit quoque *epistolam* ad Hattonem præsulem Moguntinum, cum ei librum Alcuini de Trinitate mitteret, editam in Collectione amplissima Edm. Martene et Ursini Durand, tom. I, pag. 84.

THEGANI

VITA LUDOVICI IMPERATORIS.

(Pertz, Mon. Germ.)

PERTZII MONITUM PRÆVIUM.

B Auctorem operis subsequentis clericum fuisse, et nihilominus nobilis cujusdam familiæ filium, cum ex toto opere, tum ex capitibus 3, 20 et 50, cognoscimus; Theganum, natione Francum et chorepiscopum Trevirensis Ecclesiæ præfixa eidem Walafridi Strabonis præfatio nominat. Exstat ejusdem ad Hattonem, cum ei librum Alcuini de Trinitate mitteret, epistola, et Walafridi Strabonis versus ad eum ex persona Tattonis, magistri sui Augiensis, quorum hos ex Canisii Lectionibus antiquis, tom. VI, pag. 845, illam ex Amplissima Martenii et Durandi Collectione tom. I, pag. 84, hic iterum proferimus:

His tibi versiculis doctor sanctissime Degan
Tatto humilis mittit verba salutis ovans.
Arctor in ambiguis varia moderamine rebus,
Utrum pauca loquar, an potius silcam.
Scribere cogit enim dilectio mutua memet,
Sed vereor ne non dem tibi digna, Pater.
Tullius inferno quamvis repedaverit imo
Exerat aut magnus ora faceta Plato,
Livius aut Titus secum ferat ipse Catonem,
Vel linguam teretem Sapho loquax terebret,
Non poterunt unquam laudum miranda tuarum
Digne proferri, sunt quia multa satis.
Miramur merito sapientis munera mentis,
Doctrinam, mores, carmina, dicta, animum.
Nec minus exterius miramur sancta staturæ
Incrementa tuæ, membra, manus, faciem.
Nos parvos, humiles, murem si forma subegit,
Vosque gigantem esse gloria molis habet.
His sed sepositis tota virtute precamur
Ne laceres versus, præsul amate, datos.
Sed potius scriptis recinentia scripta ministres,
Quis nos correptos admoneas, petimus.
Quin etiam dabimus puerorum pauca legenda
Hinc joca nostrorum, ut vitiosa seces.
Verum de reliquo si quid mandare velitis,
Mente sumus parti, sic tua jussa sequi.
Quæsumos obnixe, nos ne fraudetis amatis
Vestra doctrina melliflua modulis.
Sic equidem vobis, veritas ut tebimus ipsi
Dona salutis item mittere suppliciter.
Majestas divina tibi jugiter omnia ministret,
Et faciat laetum regna poli capere.
Nunc valeas, vigeas meritis per sæcula pollens,
Sisque memor nostri, nostique tui memoris.

Item ad eundem.

Suscipe parva tui, præsul sanctissime Degan
Munera Strabonis, quæ dum mittit ovans.
Sis memor, in precibus, redolis dum nota, Tattonis,
Strabonis, memor est semper et ipse tui.
Carmina pygmæ mittam, simul atque gigantis
Dum vacuum fuerit, semper ubique vale.
Amen.

Theganus Hattoni.

C Domino venerabili et in Christo Patri Hattoni nobilissimo duci ac consuli, Theganus peccator licet antistes, in Domino Jesu Christo dicit salutem.

« Cum mihi diu cogitanti quid ex paupertate mea vestræ serenæ præsentiæ præsentare potuissem, propter immensam benignitatem vestram, quam assidue, non meis meritis exigentibus, ostendere dignati fuistis, et ut nominis mei memoriam vestræ pietati commendarem, nihil aliud ad mentem cucurrit, nisi ut aliquod opusculum sanctorum Patrum vobis dirigerem, in quo sanctum ingenium vestrum exercere potuissetis, et ideo istud volumen vobis transmisi, quod sanctus Alcuinus summus scholasticus ex variis libris sancti Augustini congregavit in unum, quod peritissimo ac nobilissimo imperatori Carolo tradidit, sicut prologus istius libri indicat, ubi inveniri potest, sicut maxima necessitas est

Digitized by Google